

DE VICARIIS PAROECIALIBUS

SUMMARIUM: Agitur ex ordine: I. De vicario paroeciali eiusque officio, figuram generalem eiusdemque variationes in eo considerando; necnon de obligationibus vicariis paroecialibus, praesente et absente parrocho, incumbenibus, in particulari etiam quoad residentiam et res oeconomicas, necnon quoad tempus feriarum. II. De praesuppositis ad nominationem ac de ipsa nominatione ad officium, deque ab eodem cessatione.

De vicariis paroecialibus agunt can. 545-552¹. De quibus propterea sequentia videbimus: I) De vicario paroeciali eiusque officio (can. 545-546; 548-551); II) De praesuppositis ad nominationem et de nominatione ad officium vicarii paroecialis; de cessatione ab eodem officio (can. 545, § 1; 546-547; 552).

I) *De vicario paroeciali eiusque officio* (can. 545-546; 548-551).

¹ Cf. *Communicationes* 18 (1986) 70; 8 (1976) 23-31; 9 (1977) 258; 13 (1981) 150; 294-297; 306; *Schema Codicis Iuris Canonici 1980* (*Schema 1980*), can. 484-491; *Communicationes* 14 (1982) 227-228.

Quoad discussionem de «vicaria perpetua», cf. *Communicationes* 8 (1976) 25; 13 (1981) 147; 150; 303-306.

Quoad Auctores, cf. potest, praeter Commentaria, D. BERNARD, *Les curés et les vicaires paroissiaux*, in *Esprit et vie* 96 (1986) 257-262; D. MOGAVERO, *Il parroco e i suoi collaboratori*, in AA.VV., *La parrocchia*, Bologna (Dehoniane), 1987, 119-146; L. SCHICK, *Die Pfarrei*, in *Fuldär Hochschulschriften*, n. 6, St. Ottilien, 1988.

Figura vicarii paroecialis eiusque officii pastoralis delineatur a complexu can. 545-546; 548-551.

Valeant proinde quaestiones sequentes: 1) figura generalis vicarii paroecialis (can. 545, § 1; 546; 548, § 3); 2) figurae multiplices vicariorum paroecialium (can. 545, § 2); 3) obligationes generales vicarii paroecialis (can. 548, §§ 1-2); 4) obligationes vicarii paroecialis in casu supplentiae parochi (can. 548, § 2; 549); 5) obligationes vicarii paroecialis quoad residentiam in paroecia (can. 550, §§ 1-2); 6) obligationes vicarii paroecialis quoad res oeconomicas (can. 551); 7) ius vicarii paroecialis quoad tempus feriarum (can. 550, § 3).

1) *Figura generalis vicarii paroecialis* (can. 545, § 1; 546; 548, § 3).

«...vicarii paroeciales, qui, tamquam parochi cooperatores eiusque sollicitudinis participes, communi cum parochi consilio et studio, atque sub eiusdem auctoritate operam in ministerio pastoralis praestent» (can. 545, § 1);

«Ut quis valide vicarius paroecialis nominetur, oportet sit in sacro presbyteratus ordine constitutus» (can. 546);

«Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis et susceptis ad parochum referat, ita ut parochus et vicarius aut vicarii, coniunctis viribus, pastoralis curae providere valeant paroeciae, cuius simul sunt sponsores» (can. 548, § 3).

Ex citatis textibus quaestiones eruuntur: a) vicarius paroecialis est presbyter; b) adiuvat parochum in ministerio pastoralis; c) est sub auctoritate parochi et agit coniunctim cum illo.

a) *Vicarius paroecialis est presbyter*

Status presbyteralis requiritur a Codice (can. 546). Est, proinde, qualitas necessaria vicarii paroec-

cialis. Solummodo qui est presbyter potest esse vicarius paroecialis. Si memoremur proinde can. 519, ubi indicantur, ut collaboratores parochi, etiam diaconi et laici, affirmare debemus quod nec laici nec quidem diaconi, etiamsi sint collaboratores parochi, possunt esse vicarii paroeciales².

b) *Adiuvat parochum in ministerio pastoralis*

Verba Codicis: «parochi cooperatores» (can. 545, § 1); «sollicitudinis participes» (*ibid.*); «operam in ministerio pastoralis praestent» (*ibid.*); «pastorali curae providere valeant paroeciae» (can. 548, § 3), sunt *satis generica* et per se valent *etiam pro aliis subiectis*, quae parochum *adiuvant*.

Tunc nota specificitatis praecise ex facto provenit quod vicarius paroecialis est *presbyter* (can. 546) et proinde *ut talis* parochum *adiuvat*³.

c) *Est sub parochi auctoritate et agit coniunctim cum illo.*

«Sub (parochi) auctoritate» nihil aliud significat nisi quod inter vicarium paroecialem et eius parochum differentia datur hierarchica, non — evidenter

² Cf. *Communicationes* 13 (1981) 294-295.

³ De vicariis paroecialibus agitur etiam — uti scimus — in definitione «parochi» can. 519: «... cooperantibus etiam aliis presbyteris...». Patet, tamen, quod, quamquam mentio vicariorum paroecialium inest in definitione parochi a citato canone lata, vicarii paroeciales non sunt necessarii. In Coetu «De Populo Dei», diei 19 aprilis 1980, aliquis volebat ut in definitione «paroeciae» (nunc can. 515, § 1) diceretur: «... committitur parochi una cum suis vicariis», et ratio erat: «come si dice del Vescovo "una cum suo presbyterio"». Tamen animadversum est: «... i Vicari non appartengono alla struttura della parrocchia, non sono necessari. Diversa è la figura del Presbiterio nella diocesi» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 148).

— ratione ordinis, quia ambo sunt presbyteri, verum ratione dependentiae vicarii paroecialis a parrocho: ille ab hoc sumit normas et huic proinde oboedire tenetur. In hoc sensu, legi debent illae affirmationes: «Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis et susceptis ad parochum referat...», evidenter ad probationes a parrocho obtinendas.

Hoc in tutum posito, Codex abundat in affirmationibus de coniunctione inter duos: «...eiusque sollicitudinis participes, communi cum parrocho consilio et studio...» (can. 545, § 1); «...parochus et...vicarii, coniunctis viribus...» (can. 548, § 3). Et ideo vicarius et parochus coniunctim agere debent, hoc quidem sensu, lineas actionis pastoralis insimul cogitare velint et decisiones unanimiter sumere satagent⁴.

Alienum, proinde, omnino esset non solum a spiritu, verum etiam a littera Codicis si parochus et vicarius separatim cogitarent et agerent, si speciatim parochus decisiones solus sumeret et illas imposeret oboedientiae vicarii, vel si hic numquam cum parrocho incepta sua communicaret. Pulchra speciatim sunt verba: «paroeciae... simul sunt sponsores» (can. 545, § 3). Codex dicere vult: responsabilis vitae paroeciae non est solummodo parochus, sed est etiam vicarius.

Praedictae affirmationes clare continent etiam monitum: satagent parochus et vicarius eventuales dissensiones superare, quae irreperere possint in pastoralis actione et vita quotidiana.

⁴ Cf. *Communicationes* 13 (1981) 294; 296. Relatio inter parochum ac vicarium paroecialem connotabatur quidem fortius in *Schemate* 1977: «...parochus et vicarius aut vicarii, concordii semper voluntate et coniunctis viribus...». Tamen «il secondo Consultore considera esagerata l'espressione "concordii semper voluntate"; è sufficiente l'espressione "coniunctis viribus"; ne propone pertanto la soppressione. Concordano tutti» (*ibid.* 296).

Ex omnibus elementis supra relatis concludere liceat: etiamsi clarum sit vicarium esse sub parcho proindeque necesse sit ut prior alteri obediat, tamen huic structurae praeferrī videtur altera theoria, vi cuius inter parochum et vicarium datur quaedam paritas.

In mentem tunc redit praevisio can. 517, § 1, scilicet coetus sacerdotum in solidum paroeciam regentium. Et ideo spontanee quaeritur an normae Codicis de vicariis paroecialibus et de quadam eorum paritate cum parcho non insinuet eventualitatem praeferrēdi structuram coetus sacerdotum, in quo omnes sunt aequales et vere proprieque «paroeciae...simul sunt sponsores».

2) «*Figurae multiplices vicariorum paroecialium* (can. 545, § 2).

«*Vicarius paroecialis constitui potest sive ut opem ferat in universo ministerio pastoralī explendo, et quidem aut pro tota paroecia aut pro determinata paroeciae parte aut pro certo paroeciae christifidelium coetu, sive etiam ut operam impendat in certum ministerium in diversis simul paroeciis persolvendum*» (can. 545, § 2)⁵.

In relato textu figurae multiplices vicariorum paroecialium sequentes praevidentur: a) vicarius paroecialis unius paroeciae et quoad universum ministerium pastorale pro tota paroecia; b) vicarius paroecialis unius paroeciae et quoad universum ministerium pastorale pro determinata paroeciae parte; c) idem ut supra pro certo paroeciae christifidelium coetu; d) vicarius paroecialis plurium paroeciarum quoad certum solummodo ministerium.

⁵ *Communicationes* 13 (1981) 294.

Videamus singulas possibilitates.

a) *Vicarius paroecialis unius paroeciae et quoad universum ministerium pastorale pro tota paroecia.*

Vicarius paroecialis nominatur in servitium unius paroeciae, proindeque in adiutorium unius parochi.

Ambitus activitatum comprehendit *universas* activitates pastorales. De hoc conferri debet (sed vide infra) can. 548, §§ 1-2.

Extensio activitatum, de quibus supra, est *tota* paroecia, sive quoad territorium, sive quoad personas.

b) *Vicarius paroecialis unius paroeciae quoad universum ministerium pastorale pro determinata paroeciae parte.*

Praevisio non est nova, sive quoad praxim, sive quoad Codicem praeteritum, qui hoc iam habebat⁶.

«*Pro paroeciae parte*». Quid significat? Ex eo quod distincte agatur de paroeciae «parte» et, postea, de christifidelium «coetu», spontanee videtur Codex loqui hic velle de paroeciae *parte territoriali*. Proinde vicarius paroecialis assignatur parti territoriali. Est casus particularis, in quo aliqua paroecia componitur duabus partibus, quae possunt inter se territorialiter distinguui, ex. gr. ratione longiquitatis.

In mentem redit:

«*Ubi quaedam communitates in paroeciam vel quasi-paroeciam erigi non possint, Episcopus dioecesanus alio modo earundem pastorali curae prospiciat*» (can. 516, § 2).

Hic casus mihi videtur unus esse in quibus dari potest figura vicarii paroecialis pro determinata paroeciae parte. Quae pars potest etiam praecisis finibus

⁶ Cf. can. 476, § 2.

territorialibus determinari, quin a paroecia ita dividatur. Pars de qua agitur potest etiam habere suam aedem sacram, quae in hoc casu esset ecclesia subsidiaria⁷.

«*Pro determinata parte*». Hoc patet. Sed quaerimus: quis determinat? Est Episcopus dioecesanus in ipsis litteris nominationis (cf. can. 548, §§ 1-2). Episcopus potest — omnino evidenter — relinquere parochos ultiores determinationes (cf. *ibid.*). In casu autem in quo pars paroeciae determinatur etiam praecisis finibus territorialibus, hoc fit et fieri potest solummodo ab Episcopo dioecesano.

c) *Vicarius paroecialis unius paroeciae quoad universum ministerium pastorale pro certo paroeciae christifidelium coetu.*

«*Pro coetu*». Quid significat? Coetus personarum cuiuscumque generis an, vero, coetus personarum determinati generis? In priore casu, isti christifideles sunt pars communitatis paroecialis, et hoc videtur configurare eandem hypothesim contentam in praecedentibus verbis nostri textus: «pro determinata paroeciae parte». In altero casu, isti christifideles essent, ex. gr., aegroti, vel operarii, vel iuvenes, et ita porro.

Tunc quaestio est sequens: quomodo distinguitur hic coetus ab illo in quo consistit sic dicta «cappellania» (de qua in can. 564-572; cf. can. 564: «...alicuius communitatis aut peculiaris coetus christifidelium...»). Distinctio sumi debet ex eo quod cappellania configuratur ut communitas independens a paroecia, dum christifidelium coetus, de quo agitur in

⁷ Cf. F. COCCOPALMERIO, *Quaestiones de paroecia in novo Codice*, in *Periodica* 73 (1984) 385-387.

nostro textu, hac independentia haud gaudet: est enim coetus «paroeciae»⁸.

d) *Vicarius paroecialis plurium paroeciarum quoad certum solummodo ministerium.*

«*Diversae paroeciae*» significat evidenter «*saltem duas*». Opportunum esse videtur ut plures paroeciae sint *in eodem vicariatu foraneo*⁹.

«*Certum ministerium*» significat *limitationem aliquam* in activitatibus vicarii paroecialis. Tamen meo iudicio hoc *non* significat quod ministerium vicarii in tali casu consistere debeat *in una solummodo* activitate pastoralis. Ratio limitationis patet: si vicarius paroecialis inservire debet pluribus paroeciis, non potest evidenter omnia facere; debet limitare suas activitates. Ea de causa, relinquitur sapientiae Episcopi dioecesani *statuere in litteris nominationis* unam activitatem vel, si hoc possibile iudicabitur, plures activitates vicarii paroecialis. Opportunum videtur ut vicarius

⁸ Cf. *ibid.* 386-387.

⁹ In Coetu «De Populo Dei», diei 14 maii 1980, propositus est textus sequens: «§ 1. Ad actionem pastorem fovendam paroeciae, praesertim in decanatu unitae, ita ab Episcopo dioecisano secundum normas ab ipso statutas coniungi possunt, ut certa curae pastoralis munera specialia seu actiones pastorale indolis peculiaris stabiliter pro tota paroeciarum communitate exercendae seu moderandae parochis collegialiter, uno eorum praeside, concredantur, manente tamen singulis parochis cura ordinaria pro suis paroeciis tributa» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 306). Hic textus non loquitur de vicariis paroecialibus, sed de parochis diversarum paroeciarum vicinarum, ex. gr. in unico decanatu. Textus postea relictus est: «Mons. Segretario propone di sopprimere il § 1 e lasciarlo al diritto particolare. Se la norma dovesse rimanere, bisogna trasferirla nella parte che riguarda il decanato. Concordano tutti, eccetto il sesto Consultore, che venga soppresso» (*ibid.* 306).

paroecialis eandem vel easdem activitates in omnibus paroeciis compleat, ad maiorem specializationem obtinendam. Si, tamen, necesse est, nihil impedit quominus vicarius hanc activitatem in hac paroecia compleat et aliam in alia paroecia.

Insuper efferendum est quod in litteris nominationis *alia* sunt *praecisanda*. Haec videntur praecipua: tempus permanentiae in unaquaque paroecia (ex. gr.: tot dies in hac paroecia, tot in alia, et ita porro); retributio oeconomica (ex. gr.: tot ab hac paroecia; tot ab alia, et ita porro); residentia vicarii paroecialis (ex. gr.: in hac solummodo paroecia vel in unaquaque ex pluribus); vigilantia vicarii foranei¹⁰.

3) *Obligationes generales vicarii praecialis* (can. 548, § 1-2)

«§ 1. Vicarii paroecialis obligationes et iura, praeterquam canonibus huius capituli, statutis dioecesanis necnon litteris Episcopi dioecisani definiuntur, specialius autem mandato parochi determinantur.

§ 2. Nisi aliud expresse litteris Episcopi dioecisani caveatur, vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali ministerio adiuvandi, excepta quidem applicatione Missae pro populo, itemque, si res ferat, parochi vicem supplendi» (can. 548, §§ 1-2).

In textu indicantur vicarii paroecialis obligationum generalium quattuor fontes: a) canones huius capituli; b) statuta dioecesana; c) litterae nominationis Episcopi dioecisani; d) mandatum parochi.

¹⁰ Opportunum videtur, ad maiorem securitatem, ut litterae nominationis, ubi continentur omnes praecisiones, a parochis pro acceptatione subsignentur, necnon a vicario foraneo.

a) *Canones huius capituli*, idest Libri II, Capituli VI: «De paroeciis, de parochis et de vicariis paroecialibus». Hoc — evidenter — praesertim in can. 545-552.

Si sumimus verba: «...vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali ministerio adiuvandi...», retinere debemus officia vicarii paroecialis, ex norma Codicis, definiri posse *in relatione ad ministerium parochi*. A.v., clarum est: quatenus vicarius paroecialis adiuvat parochum, ministerium vicarii paroecialis *consistit in adimplendis activitatibus parochi* in positione *adiutoris*. Vicarius paroecialis facit illa quae parochus facit. Proinde illius est quod, ex. gr., in can. 528-530 Codex de paracho statuit. Necesse tamen est ut etiam alios canones in nostram attentionem sumamus, in quibus agitur de ministerio parochi. ex. gr., in Libris III et IV quoad ministerium verbi Dei necnon quoad sacramenta et reliquos cultus actus.

Excipere evidenter necesse est ea quae sunt parochi praecise in quantum ipse est *paroeciae caput*. Ex. gr.: ad regimen paroeciae *decisiones sumere*. Tamen vicarius paroecialis *etiam decisiones* sumere tenetur *in casu supplentiae* ad normam iuris, quamvis hae decisiones solummodo illae esse possunt, quae ad casus attinent *singulos*, non autem illae, quae ad paroeciae pertinent *structuram*.

b) *Statuta dioecesana* sunt sive Synodus dioecesana, sive aliae normae, sive programmata pastoralia. Peroportum est ut dioeceses, modo magis analytico et singulis adiunctis aptato, figuram vicarii paroecialis eiusque officii delineent.

c) *Litterae nominationis Episcopi dioecesani* possunt — uti patet — pressius *aptare* ministerium vicarii

paroecialis *concretis* necessitatibus paroeciae. Possunt etiam determinare quod vicarius paroecialis adiutor erit parochi *non in universo* ministerio, sed *in quibusdam tantummodo* activitatibus. Ad hoc sese referre videntur verba Codicis: «Nisi aliud expresse litteris Episcopi dioecesani caveatur...». Debent omnino *hoc facere* in casu nominationis vicarii paroecialis qui destinetur in servitium *plurium paroeciarum*. Ita litterae nominationis expresse statuere debent utrum vicarius paroecialis nominetur pro *tota* paroecia an *solummodo* pro determinata paroeciae parte vel pro certo christifidelium coetu.

d) *Mandatum parochi*. Agitur — uti patet — de ulteriore determinatione officiorum. Omnino intelligitur quod, si vicarius paroecialis adiuvere debet parochum per se in universo ministerio (vel, si agitur de pluribus paroeciis, in certa quadam activitate pastoralis), parochus potest necessitatem habere *aliquarum activitatum* potius quam aliarum et, consequenti ratione, determinare officia sui vicarii. Omnino, pariter, clarum evadit parochum habere ius statuendi ut ministerium paroeciale adimpleatur *tali modo* potius quam alio et ita determinandi officia vicarii.

Forsitan rectius textus Codicis dicere debuisset: «mandatis» parochi, quia agitur, potius quam de uno tantummodo mandato semel ac pro semper, de variis mandatis, de variis normis, vel, etiam, de simplicibus optatis¹¹.

¹¹ In *Schemate* 1977 can. 380, § 1 et in *Schemate* 1980 can. 487, 1 dicebatur: «magis autem in specie parochi commissione determinantur» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 295).

4) *Obligationes vicarii paroecialis in casu sup-
plentiae parochi* (can. 548, § 2; 549).

«...vicarius paroecialis ratione officii obligatione tene-
tur... si res ferat ad normam iuris, parochi vicem supplendi»
(can. 548, § 2);

«Absente paracho, nisi aliter Episcopus dioecesanus
proverit ad normam can. 533, § 3, et nisi administrator
paroecialis constitutus fuerit, serventur praescripta can. 541,
§ 1; vicarius hoc in casu omnibus etiam obligationibus
tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro
populo» (can. 549).

In duobus textibus citatis agitur de suppletia
parochi ex parte vicarii paroecialis. Hi casus sunt
sequentes: a) absentia parochi «brevior», idest de qua
in can. 533, § 2; b) absentia parochi «longior»; c)
vacantia paroeciae vel impedimentum parochi ante
constitutionem administratoris paroecialis (de quibus
in can. 541, § 1).

a) *Absentia parochi «brevior», idest de qua in
can. 533, § 2*

Agitur de illa absentia «ad summum per unum
mensem continuum aut intermissum», ratione feria-
rum, de qua absentia loquitur can. 533, § 2. Cui
adiungi possunt aliquot dies pro recessibus spiritali-
bus (*ibid.* et can. 276, § 2, n. 4) et pro conventibus
studii (cf. can. 279, § 2).

In hoc casu, proinde, parochus absens est vel per
mensem continuum vel per periodum brevior. Uno
verbo, per tempus limitatum.

Omnino evidenter, parochus absens esse potest
etiam aliis ex causis, ex. gr. ex morbo. Et, etiamsi non
sit absens, tamen agere nequit.

Quomodo tunc Episcopus dioecesanus *providere*
debet? Duae videntur possibilitates dari:

— nominare *administratorem paroecialem* (cf. can. 549: «...nisi administrator paroecialis constitutus fuerit...»); tamen hoc videtur, *excessivum*, quia tempus absentiae est *valde limitatum*;

— providere *alio modo*, idest ad normam can. 533, § 3 (cf. can. 549: «...nisi aliter Episcopus dioecesanus providerit ad normam can. 533, § 3...»).

Ita recitat can. 533, § 3:

«*Episcopi dioecesani est normas statuere quibus prospiciatur ut, parochi absentia durante, curae provideatur paroeciae per sacerdotem debitibus facultatibus instructum*».

Systema possibile, tunc, hoc solummodo erit: a) Episcopus statuit quod alius sacerdos, debitibus facultatibus instructus, parochum substituat (hic erit vel alius parochus, vel vicarius foraneus, vel alius sacerdos) (can. 533, § 3); b) vicarius paroecialis (inter plures, nominatione antiquior - can. 541, § 4) parochum substituit¹².

Quid facit parochi substitutus in hoc casu?

Ante omnia legamus *duos textus Codicis*. Prior, quidem, ita recitat:

«...*curae provideatur paroeciae per sacerdotem debitibus facultatibus instructum*» (can. 533, § 3).

Alter, vero:

«...*vicarius hoc in casu omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo*» (can. 549).

¹² Cf. F. COCCOPALMERIO, *Quaestiones de paroecia in novo Codice (Pars II)*, in *Periodica* 76 (1987) 75.

«Debitae facultates», «obligationes parochi», *quae sunt?* Responsio facilis videtur: parochi substitutus faciat *solummodo quod absolute necessarium esse apparet*¹³.

b) *Absentia parochi «longior»*

Agitur de absentia *ultra mensem* et modo *continuo*.

Quomodo Episcopus dioecesanus opportune providere debet?

Non possunt dari indicationes praecisae. Unum tantum dicere liceat: si absentia est sat longa (ex. gr. per sex menses, ad annum) opportunum est providere *nominatione administratoris paroecialis*. Hoc facilius fit cum absentia parochi iam ab initio praevideatur longa.

Administrator paroecialis agit ad normam cann. 539-540¹⁴.

c) *Vacantia paroeciae vel impedimentum parochi ante constitutionem administratoris paroecialis (de quibus in can. 541, § 1).*

Verba Codicis:

«Vacante paroecia itemque parochus a munere paroeciali exercendo impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paroeciae regimen interim assumat vicarius paroecialis; si plures sint, is qui sit nominatione antiquior, et si vicarii desint, parochus iure particulari definitus» (can. 541, § 1).

¹³ Cf. *ibid.* 77 et cf. *Communicationes* 14 (1982) 228. In *Schemate* 1977 can. 381 dicebatur: «(parochi) locum tenet, cum omnibus parochi facultatibus et iuribus in his quae ad curam pastorem pertinent». Haec ultima verba bene indicare videntur ambitum actionis vicarii (cf. *Communicationes* 13 [1981] 296).

¹⁴ Cf. *Periodica* 76 (1987) 59-63.

Agitur — uti patet — *de situatione improvisa vacantiae vel impedimenti* (parochus improvise moritur; improvise impedimento corripitur), ita ut Episcopus non possit statim providere nominatione administratoris paroecialis (cf. etiam § 2: loci Ordinarius debet statim certior fieri de hac situatione, quam, proinde, adhuc nescit).

Quid *facit* parochi *substitutus*? Codex dicit: «paroeciae regimen interim assumat». Quid significat «paroeciae regimen»? Probabiliter significat quod substitutus agere potest et debet ad modum administratoris paroecialis¹⁵.

Summatim loquentes

Vicarius paroecialis suppletiam parochi facere potest in casibus sequentibus:

- a) in absentia parochi breviori;
- b) in absentia parochi longiori;
- c) in vacantia paroeciae vel in impedimento parochi ante nominationem administratoris paroecialis.

Hisce in casibus, vicarius paroecialis habet omnes obligationes parochi (semper, tamen, exclusa applicatione Missae pro populo).

Differentia inter casus absentiae (supra, a-b) et casum vacantiae vel impedimenti (supra, c) videtur sequens:

a-b) in his casibus, vicarius paroecialis nihil facere potest quod est proprium parochi, quippe ipse est caput paroeciae.

c) in hoc casu, vicarius paroecialis habet «regimen paroeciae» et proinde agit ad modum administratoris paroecialis, tamen cum omnibus limitibus quos etiam haec figura habet in normis Codicis («sede

¹⁵ Cf. *Periodica* 76 (1987) 67-68.

vacante nihil innovetur»; «praeiudicium ne afferat iuribus parochi»).

5) *Obligationes vicarii paroecialis quoad residentiam in paroecia* (can. 550, §§ 1-2).

«§ 1. Vicarius paroecialis obligatione tenetur residendi in paroecia aut, si pro diversis simul paroeciis constitutus sit, in earum aliqua; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut alibi resideat, praesertim in domo pluribus presbyteris communi, dummodo pastoralium perfunctio munerum nullum exinde detrimentum capiat.

§ 2. Curet loci Ordinarius ut inter parochum et vicarios aliqua vitae communis consuetudo in domo paroeciali, ubi id fieri potest, provehatur»¹⁶.

Ex quo textu duo eruuntur: a) obligatio residendi in paroecia vel in aliqua ex pluribus; b) vitae communis suasio.

a) *Obligatio residendi in paroecia vel in aliqua ex pluribus.*

Obligatio de se est clara nec ulteriore eget explanatione. In casu in quo vicarius paroecialis pro diversis simul paroeciis constitutus sit, paroecia in qua resideat statui potest nominationis litteris aut relinqui parochorum vicariivae foranei determinationi.

Expressio huius obligationis pro vicario paroeciali clarior quidem evadit quam in casu parochi, relate ad possibles exceptiones. Quoad vicarium paroecialem Codex ita dicit: «obligatione...residendi in paroecia»; pro parochi, vero, dicitur: «residendi in domo paroeciali prope ecclesiam» (cf. can. 533, § 1). Tunc exceptio continetur in: «...tamen...alibi...». Hoc «ali-

¹⁶ Cf. *Communicationes* 13 (1981) 296-297.

bi» significat plane: in *territorio* diverso ab illo paroeciae vel paroeciarum pro qua vel pro quibus vicarius paroecialis constitutus est. Talis expressio habet hic significationem clariorem quam eadem expressio in casu parochi adhibita, ubi significare poterat: in alia *domo*¹⁷.

b) *Vitae communis suasio*

Vitae communis datur in textu *duplex possibilitas*: vicarii paroecialis cum parocho necnon vicarii paroecialis una cum aliis presbyteris.

Vita communis cum parocho. Aliquomodo fortiter suadetur: «Curet loci Ordinarius ut... provehatur». Etiam si non sit obligatio: «...ubi id fieri potest...».

Vita communis cum aliis sacerdotibus. De hac agitur solummodo in casu residentiae extra territorium paroeciae vel paroeciarum. Formula adhibita: «...praesertim in domo pluribus presbyteris communi...» est eadem ac pro parocho in eodem casu.

Sicut fecimus cum de parocho locuti sumus, etiam hic memorari iuvat can. 280; 275; 245, § 2¹⁸.

¹⁷ Cf. *Periodica* 76 (1987) 69-70. Ante *Plenariam* 1981 aliquis Pater suggererat: «... loco "in paroecia" dicatur "in domo paroeciali". R.: Animadversio non recipitur, quia etsi quod proponitur exoptandum quidem sit, stricta obligatio residendi in domo paroeciali non semper adimpleri potest» (cf. *Communicationes* 14 [1982] 228).

¹⁸ Cf. *Periodica* 76 (1987) 70-71. In *Schemate* 1977 can. 382, § 2 ita dicebatur: «Curet loci Ordinarius, ad normam can. 140 ut inter parochum et vicarios aliquod vitae consortium foveatur, utque consuetudo vitae communis in domo paroeciali, ubi id fieri possit, provehatur» (cf. *Communicationes* 13 (1981) 297. Duo, proinde, dicebantur: «aliquod vitae consortium», «consuetudo vitae communis in domo paroeciali». Sed quid significabat illud «vitae consortium», diversum, quidem, a «consuetudine vitae

6) *Obligationes vicarii paroecialis quoad res oeconomicas* (can. 551).

«Ad oblationes quod attinet, quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles vicario faciunt, servantur praescripta can. 531».

Ex textu quaestiones: a) ministerium pastorale; b) oblationes christifidelium; c) destinatio oblationum ad massam paroecialem.

a) *Ministerium pastorale*. Quid continet? Loquens de parrocho, Codex dicit: «...paroeciale quoddam munus...» (can. 531) et sese referre videtur ad illas functiones recensitas in can. 530. Hae functiones sunt solummodo actus cultus. Tunc expressio adhibita «paroeciale quoddam munus» significare videtur functiones cultus, praesertim illas recensitas in can. 530. Pari ratione, verbum «paroeciale» significare videretur solummodo functiones internas paroeciae, typicas paroeciae, sicut praecise sunt illi actus cultus. Loquens de vicario paroeciali Codex adhibere videtur expressionem ampliorem: «ministerium pastorale». Etiam, verbi gratia, docentia religionis in scholis non paroecialibus est, per se, ministerium pastorale. Tamen significatio strictior — sicut supra statuta — etiam in casu vicarii paroecialis praeferenda videre-

communis in domo paroeciali»? Sine dubio intellegebatur frequentatio, colloquium, etc. Sed hoc erat iam in se clarum. Et formula brevior adhibita est (cf. *Communicationes* 14 [1982] 228). Manet, tamen, exigentia ut, etiamsi habitatio in communi impossibilis difficilisve evadat, illud consortium foveri debet a loci Ordinario. Recursus etiam fiebat ad can. 140 (nunc 280), sed hoc cecidit, «perché non necessario» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 297), sed referentia nihilominus opportuna videtur.

tur. Praesertim quia textus loqui vult de oblationibus — sicut infra dicemus.

b) *Oblationes christifidelium*

Si «ministerium pastorale» et etiam «paroeciale munus» significant actus cultus, oblationes christifidelium illae sunt de quibus agunt can. 848; 945 ss.; 1181; 1264, n. 2; 1385.

Mensura harum oblationum statuitur a conventu Episcoporum cuiuscumque provinciae ecclesiasticae (cf. can. 1264, n. 2).

Ministri sacramentorum et sacramentalium oblationes quaerere possunt secundum mensuram statutam. Non possunt quaerere ultra mensuram ut supra statutam (cf. can. 848). Si vero christifideles offerunt *ultra mensuram*, haec est oblatio *voluntaria*.

Haec pars supra mensuram, proindeque voluntaria, potest a christifidelibus dari vel ut oblatio pro servitio cultus, vel ut oblatio *pro ipso ministro*, scilicet ad *beneficendam* ministri *personam*. De hoc habemus indicationem sive in can. 531 («nisi de contraria offerentis voluntate constet quoad oblationes voluntarias»), sive in can. 955, § 1 («nisi certo constet excessum supra summam in dioecesi debitam datum esse intuitu personae»).

c) *Destinatio oblationum ad massam paroecialem*

Nunc systema a Codice praevisum intellegere possumus: «...serventur praescripta can. 531» (can. 551). Ubi dicitur:

«*Licet paroeciale quoddam munus alius expleverit, oblationes, quas hac occasione a christifidelibus recipit ad massam paroecialem deferat, nisi de contraria offerentis voluntate constet quoad oblationes voluntarias...*» (can. 531).

Hac norma, proinde, statuitur ut celebrans actus cultus et recipiens oblationem non potest pro se retinere oblationem, verum debet eam conferre massae paroeciali. Non est, tamen, necessarium ut conferantur oblationes voluntariae datae ministri personae, sicut supra iam explicavimus.

Massa paroecialis non est necessario persona iuridica distincta a paroecia persona iuridica. Est, potius, ipsa paroecia persona iuridica vel pars patrimonii ipsius paroeciae qua personae iuridicae.

«...Episcopo dioecesano, audito consilio presbyterali, competit statuere praescripta, quibus destinationi harum oblationum necnon remunerationi clericorum idem munus implentium provideatur» (can. 531).

Hac norma, proinde, statuitur quod destinatio horum bonorum non est libera, sed est illa quam Episcopus indicaverit.

Haec bona vel saltem pars illorum destinari debent remunerationi clericorum? Ita videtur. Tamen expressio «necnon» non est clara. Ex massa paroeciali, de qua agitur, idest a parte patrimonii paroeciae ab oblationibus proveniente, media sumi possunt ad remunerationem ministrorum sacrorum, parochi, scilicet, et aliorum. Sed haec, per se, sumi possent etiam aliunde. Episcopus normas dare debet.

In memoriam hic revocare possumus etiam can. 1274 de remuneratione clericorum¹⁹.

7) *Ius vicarii paroecialis quoad tempus feriarum* (can. 550, § 3).

«Ad tempus feriarum quod attinet, vicarius paroecialis eodem gaudet iure ac parochus» (can. 550, § 3).

¹⁹ Cf. *Periodica* 73 (1984) 400-402.

Hac de causa remittimus ad ea quae de parocho his in ephemeribus diximus²⁰.

II) *De praesuppositis ad nominationem et de nominatione ad officium vicarii paroecialis; de cessatione ab eodem officio* (can. 545 § 1; 546-547; 552).

1) *De praesuppositis ad nominationem* (can. 545, § 1; 546-547).

«Quoties ad pastorem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parocho adiungi possunt unus aut plures vicarii paroeciales...» (can. 545, § 1);

«Ut quis valide vicarius paroecialis nominetur, oportet sit in sacro presbyteratus ordine constitutus» (can. 546);

«...auditis, si opportunum (Episcopus dioecesanus) id iudicaverit, parocho aut parochis paroeciarum pro quibus constituitur, necnon vicario foraneo...» (can. 547).

Tres ex textibus quaestiones: a) necessitas aut opportunitas pro cura paroeciae; b) presbyteratus praerequisitus; c) auditio parochi vel parochorum, necnon vicarii foranei.

a) *Necessitas aut opportunitas pro cura paroeciae*

Verba Codicis antea citata: «Quoties... necesse aut opportunum sit, parocho adiungi possunt...» (can. 545, § 1) omnino clara videntur, sed attentiori iudicio aliqua problemata ponunt.

Ante omnia Codex videtur Episcopo ponere aliquam conditionem sine qua non: Episcopus non posset constituere vicarios paroeciales nisi hoc necesse aut opportunum esset. Quod si est verum, est in logica rerum. De cetero, iudicium concretum de

²⁰ Cf. *Periodica* 76 (1987) 71-74.

necessitate aut opportunitate est omnino discretionale et proinde omnino latum.

Cur, alia ex parte, textus noster dicit: «Quoties...necesse... adiungi *possunt*»? Si «necesse est», tunc adiungi «*debent*», quia, secus, parum intellegitur haec necessitas. Ita, simili ratione, in casu simplicis opportunitatis.

Adhuc notemus: «Quoties...opportunum». Hac de causa, potest esse *non* opportunum. Quandonam vero? Liceat indicare duas causas.

Prior causa — omnino facilis intellectionis — datur, quidem, cum in parva paroecia non esset sufficiens activitas pro pluribus presbyteris, ita ut praesentia plurium potius esset mutuum obstaculum quam fidelium efficax adiutorium.

Altera causa non opportunitatis — magni revera momento — exsurgere potest ex can. 271, § 1:

«Extra casum vere necessitatis Ecclesiae particularis propriae, Episcopus dioecesanus ne deneget licentiam transmigrandi clericis, quos paratos sciat atque aptos aestimet qui regiones petant gravi cleri inopia laborantes, ibidem sacrum ministerium peracturi...».

Et ita cf. § 2. Proinde si, ex una parte, paroeciae huius Ecclesiae particularis necessitatem non habent vicariorum paroecialium, ex eo quod, vel parvae sunt, vel illae, quae sunt maiores, iam habent vicarios paroeciales in numero sufficienti, et si, ex alia parte, sunt sacerdotes parati et apti pro regionibus laborantibus penuria cleri, ex his praesuppositis inopportunitas verificatur de qua agit textus noster.

b) *Presbyteratus praerequisitus*

Sicut notavimus pro casu parochi (cf. can. 521, § 1) status presbyteralis actum nominationis praecedere

debet («sit...constitutus»). Proinde nominatio nondum presbyteri invalida est («Ut quis valide...»)²¹.

Mirum apparere potest quod alia requisita ordinis spiritualis et pastoralis pro vicario paroeciali Codex non evocet. Valet evidenter recursus, saltem modo analogico, ad ea quae de parrocho dicuntur (cf. can. 521, § 2). Valde efferendum est etiam in vicario paroeciali requiri capacitates concretas pro paroecia concreta cui ille destinabitur (cf. adhuc can. 521, § 2)²².

c) *Auditio parochi vel parochorum, necnon vicarii foranei*

Haec auditio est *facultativa* («si opportunum id iudicaverit»). Tamen videtur *opportuna*, saltem auditio vicarii foranei. Ratio est — sicut iam in casu parochi — quod haec auditio est de paroeciae adiunctis proindeque de qualitatibus presbyteri nominandi. Episcopus dioecesanus nominare debet personam idoneam pro paroecia *concreta* in suis necessitatibus *concretis*. His de causis, Episcopus dioecesanus *notitias quaerere debet* ab his qui adiuncta *cognoscunt*. Tamen Episcopus dioecesanus *iam cognoscere potest*

²¹ In *Schemate* 1977 can. 377, § 1 et in *Schemate* 1980 can. 484, § 1, verba erant: «... unus aut plures vicarii paroeciales, sacerdotes nempe qui...» et proinde iam dicebatur «sacerdotes» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 294).

²² In *Schemate* 1977 can. 378, § 2 ita dicebatur: «Vicarius constituatur sacerdos qui sana doctrina morumque probitate praestat quique iis gaudet qualitatibus quae ad curam pastorem erga populum de quo agitur idonee participandam requiruntur». Coetus «De Populo Dei», diei 12 maii 1980, ita decrevit: «Di comune accordo il § 2 viene soppresso perché non ritenuto necessario» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 294-295).

has necessitates concretas et tunc auditio *supervacanea fieri potest*²³.

Secus ac in casu parallelo nominationis parochi (cf. can. 524), textus hic de parochi vel parochis necnon de vicario foraneo univoce et simpliciter intellegitur de parochi vel parochis necnon de vicario foraneo illius vel illarum paroeciarum «pro quibus (vicarius) constituitur» (can. 547).

2) *De nominatione ad officium vicarii paroecialis* (can. 547).

«*Vicarium paroecialem libere nominat Episcopus dioecesanus...*, *firmo praescripto can. 682, § 1*» (can. 547).

Norma de se clara apparet. Principium affirmatur liberae collationis. Iura praesentationis vel electionis

²³ Motivum introductionis illorum verborum «si opportunum id iudicaverit» fuit quia in *Schemate* 1977 can. 379, § 1, ita statuebatur: «...libere... nominat loci Ordinarius, audito parochi aut parochis paroeciarum pro quibus constituitur, necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneo seu decano». Proinde auditio parochi aut parochorum requirebatur ut obligatoria. Coetus «De Populo Dei», diei 12 maii 1980, ita censuit: «Non è bene, dice il secondo Consultore, imporre al Vescovo di sentire il parroco per la nomina del Vicario parrocchiale, perché ci sono casi in cui non è opportuno farlo; meglio dire "si id opportunum iudicaverit". Concordano tutti» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 295). Etiam auditio vicarii foranei est facultativa. Textus enim supra relatus dicebat ita: «...necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneo seu decano». Proinde erat iam facultas. Et, post mutationem, etiamsi verba «si opportunum...» una cum motivatione, referri videantur solis parochis, haec quidem intellegi debent ut relata etiam decano. Nihilominus repetimus: auditio decani videtur opportuna. Nisi Episcopus alio modo notitias habeat, ex gr. ex Vicario episcopali, vel directe ex visitatione pastoralis, etc.

hic non praevidentur. Quoad formalitates actus nominationis, ad ea remittimus quae alibi diximus de nominatione in parochum²⁴. Ita pro casu speciali vicarii paroecialis pertinentis instituto religioso vel societati vitae apostolicae²⁵.

Quaeri potest cur nihil hic dicatur de Administratore dioecetano (pro casu nominationis parochi cf. can. 525), dum de hoc Codex loquatur pro amotione vicarii paroecialis (cf. can. 552). Applicatur etiam hic can. 525? An Administrator dioecetanus potest semper nominare vicarios paroeciales, sicut potest illos a movere? Mihi videtur prudentiae respondere applicatio analogica can. 525.

3) *De cessatione ab officio vicarii paroecialis* (can. 552)

«Vicarius paroecialis ab Episcopo dioecetano aut ab Administratore dioecetano amoveri potest, iusta de causa, firmo praescripto can. 682, § 2» (can. 552).

Quaeri potest quid significet «iusta de causa»? Expressio est omnino generica. Evidenter requiritur iusta causa. Sed quandonam non requiritur in actibus auctoritatis? Tunc hic quid significat modo specifico? Defendi debet stabilitas in officio pro bono animarum²⁶.

²⁴ Cf. F. COCCOPALMERIO, *Quaestiones de paroecia in novo Codice (Pars III) in Periodica* 77 (1988) 227-228.

²⁵ Cf. *Ibid.* 226-227. In *Schemate* 1977 can. 379, § 2, praevisionem erat diversa: Moderator praesentabat candidatum et loci Ordinarius eum instituebat (cf. *Communicationes* 13 [1981] 295).

²⁶ Evidenter defendi debet etiam persona vicarii, necnon interesse parochi. Hoc sensu, probabiliter, in *Schemate* 1977 can. 384: «...iusta de causa, prudenti eius arbitrio, naturali quidem

Quaeri etiam potest: estne possibilis nominatio ad tempus determinatum? Mihi videtur quod est possibilis, per applicationem analogicam can. 522, fortasse etiam sine decreto ibi praeviso.

FRANCESCO COCCOPALMERIO

aequitate servata...». Verba haec ultima postea ablata sunt (cf. *Communicationes* 13 [1981] 297). Pro casu speciali vicarii paroecialis pertinentis instituto religioso vel societati vitae apostolicae, cf. quae diximus de parcho in *Periodica* 77 (1988) 256.